

Nr. 24.

20

ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRORECTOR ET CANCEL-
LARIUS,

IOANNES PETRVS
A LVDEWIG,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS PORVSSIAE
CONSILIARIVS INTIMVS, AC REGIMINIS MAG.
DEBVRGICI, TOPARCHA BENDORFII, PRE-
ZAE ET GATTERSTADII,

RELIQVA,

VNA CVM
DIRECTORE AC PROFESSORIBVS
RELIQVIS,

CIVIBVS ACADEMICIS
DIGNAM
PENTECOSTES
CELEBRATIONEM

cc.

HUMANISSIME COMMENDAT.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis JOH. CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr,



Πεντηκοσιν ἐργάζουσιν, καὶ πεύματος ἐπιδιέσιν, καὶ
τως θεούσιν ἐπαγγελίας, καὶ ἐλπίδος συμπλήρωσιν.
καὶ τὸ μυστήριον ὅπου, ὡς μέγα καὶ σεβασμός! h. e.
Pentecosten celebramus, & Spiritus aduenum, & præstitutum
promissiōni exsequendæ diem, speique impletionem: idque
totum mysterium quam magnum est & venerandum! Ica
magnus Græcorum theologus GREGORIUS, NAZI-
ANZENVS Episcopus, scribit Oratione XLIV. p. m. 708.
Præmisserat doctissimus Pater: τιμῶσι μὲν ἐθελοῦται πᾶν πεν-
τηκοσὴν ἡμέραν, πιστεῖν δὲ καὶ ἡμεῖς· ὥσπερ εἰσὶ πάντα, ἀ-
κριτὰ τῶν ἐθελαικῶν, τοπικῶς μὲν παρ' ἐκείνοις πελάγεναι,
μυστικῶς δὲ ἡμῖν δύσκολα διδάσκαλα. Colunt quidem etiam He-
brei Pentecosten sive quinquagesimum diem; sed & nos col-
limus: quemadmodum quidam sunt & alii Græcorum ritus,
qui apud illos typice quidem celebrantur, apud nos autem
mystice peraguntur. Digna foret disertissimi Viri oratio,
quæ integra vobiscum communicaretur; nisi & longior
illa esset, quam præfens fert institutum, eloquentior
etiam, ac difficilior in Græco sermone, quam ut ab o-
mnibus facile intelligatur. Itaque pauca tantum ad ci-
tata illius verba commentabimur; & pro scopo nostro id
operam dabimus, ut spirituali modo hos festos dies agamus.

Obseruandum igitur ex ultimis verbis Gregorii est,
Pentecostalis festi primam originem a populo Israelitico,
& diuina institutione cultus Leuitici per Mosen, repe-
tendam esse. Ipsum quidem Græcum nomen Pentecosten
in Ebraeo Codice V. T. frustra quis quæsiverit, quippe
ab Hellenistis, sive Iudeis Græca lingua postea usis, id
demum est usurpatum. Sic enim legimus Tobiae capite

II. i. ἐφ τῇ πεντηκοστῇ ἑορτῇ, οὐ ἐστιν αὐτὰ ἐπίλα ὕβδομάδας
In festiuitate pentecostes s. quinquagesimæ diei, que est sa-
cra septem hebdomadum, & 2. Maccab. XII, 32. μὲν δὲ τὸν
Ἀργούειν πεντηκόστῃ, post diem pentecosten, Quæ ipsa Iu-
daica pentecoste etiam fec. litteram in N. T. intelligitur
Actoř. II, 1. c. XX, 16. 1 Cor. XVI, 8. quum auspiam in fa-
cbris litteris N. T. a CHRISTO Domino & Apostolis ipsi-
us aliquod mandatum de instituendis certis diebus festis
memoriaꝝ proditum inueniamus. Quin potius iuraverat
DEVS Abraham, daturum se nobis, vt sine metu, e ma-
nu inimicorum nostrorum liberati, seruamus ipsi cum
sanctitate & iustitia, in ipsius conspectu, cunctis vitæ nostræ
diebus, πάντας τὰς ἡμέρας τῷ ζῶντι ἡμῖν, Luc. I, 73. 74.
coll. Col. II, 16. Rom. XIV, 5. 6. Mature tamen in Ecclesia
Christi, præter DIEM DOMINICVM, quem Apostoli
etiam coluerunt, Actoř. XX, 7. 1 Cor. XVI, 2. Apoc. I, 10.
coll. Matth. XXVIII, 1. Marc. XVI, 2. 9. Ioh. XX, 1. 19. so-
lemnitates PASCHÆ & PENTECOSTES, item AD-
SCENSIONIS & NATALIS CHRISTI, sicut etiam
MARTYRVM, libere obseruare sunt: vt quæ insigniter
excellentia beneficia Dei certis diebus facta sunt, eorum
necessariam salubremque memoriam festiuitas concele-
brata custodiret. De quo ex instituto, nec sine ædifica-
tione legendus est noster B. MARTINVS CHEMNITI-
VS in examine concilii Tridentini, loco vltimo.

Tria vero maiora festa, præter diem Sabbati & Neo-
meniaꝝ, populo Israeliticō sanxerat DEVS; dum ter quot-
annis omnes mares ad locum publici cultus & Hierosof-
lymam adscendere iussit, in memoriam trium illustrium
beneficiorum, quæ in ipsos contulit: 1. ad solemnitatem
Paschæ, propter transitum s. præteritionem angeli, percus-
soris primogenitorum, & ob exiūm populi ex Aegypto;
2. Pentecostes, i. e. πεντηκοστής ἡμέρα, siue quinquagesimæ ab
exitu diei, in memoriam promulgatæ legis, & propter da-
tam nouam messiem; & 3. Tabernaculorum, quod taber-
nacula per quadraginta annos in desertis Arabiæ inco-
luiſſent, & terræ promissæ possessionem tandem adiuiſſent,
Exod. XXIII, 14-17. c. XXXIV, 23. Deut. XVI, 16. 2 Par.

VIII, 13. ceterum. Quæ tamen omnia, quod typicam quoque rationem & respectum habuerint ad mysteria seu beneficia CHRISTI, in Ecclesiam N. T. conferenda, sancti & a DEO edociti Scriptores luculenter passim testati sunt. Vid. 1. Cor. V, 7. Ps. LXVIII, 8-10. Esa. XLIV, 3. seqq. Zach. XIV, 16. seqq. usque ad finem.

Alterum ergo ex tribus illis maioribus festis in memoriā datus Legis, & ad oblationem primitiūorum plenae messis a DEO institutum, Hebraice appellatur 1. **הַשְׁבָעוֹת** FESTVM HEBDOMADVM: quia septem hebdomades ad hunc usque diem numerandæ erant a die oblati hordeacei manipuli paschalisi, Exod. XXXIV, 22. Lev. XXIII, 15-17. Deut. XVI, 10. Quæ septem hebdomades dies novem & quadraginta conficiunt; **quinquagesimus** vero dies festus erat: quemadmodum annus etiam Iubileus non in septenario septimo, sed quinquagesimo constitutus fuit, Leuit. XXV, 8. 10. Idem vocatur 2. **הַקְצִיר** FESTVM MESSIS, Exod. XXIII, 16. scilicet **tri**taria; quæ mæsse hordearia senior illuc erat, Exod. XXXIV, 22. & 3. **וּם הַכּוֹרֵת** DIES PRIMITIVO-RVM; duorum in primis panum fermentatorum, ex novo prouentu tritici illius anni offerendorum, Exod. XXIII, 19. Leuit. XXIII, 17. Num. XXVIII, 26. quibus tota messis DEO velut consecrabatur & accepta referebatur. Vnius autem diei tantum haec festivitas, maximoque gaudio peragenda erat, Deut. XVI, 11. Es. IX, 2. Quamuis nunc, dum in exilio & locis extra Canaanæam agunt, per biduum Pentecosten suam celebrent Iudei, ne quid forte, sua opinione, circa verum eius tempus ex ignorantia peccent. Videantur BVXTORFFIVS in Synagoga Iudæica c. XX. LVNDIVS von J. H. lib. V. c. XVI. aliquique, qui de antiquitatibus Hebraicis tractarunt. Nobis de die Pentecostes eiusque adpellatione haec dicta sufficiant; ut ad ea, quæ ex primis verbis B. GREGORII obseruanda reflant, nostra pergit oratio. Breuiter itaque porro agemus 1. de Spiritu S. sub V. T. promissione, 2. de huius promissionis & spei sub N. T. impletione. Ipso vero nobis adsit S. Spiritus, eamque dicendi facultatem tribuat, quæ par

par sit non quidem diuinæ eius maiestati, sed piæ tamen
hujus festi celebritati.

Tenendum autem ante omnia hic est, quod, sicut
stebili lapsu non solum gratia & favore DEI, sed eius et-
iam imagine & diuina inhabitatione priuati sunt Proto-
plasti; ita secundum primam illam promissionem Gen.
III, 15. per CHRISTVM & iustificationis *gratia* & veritas
sanctificationis reparanda fuerit, Ioh. I, 17. Docente enim
Apostolo, *Christus ideo ex maledictione legis*, cui omnes o-
mnino citra ullam exceptionem, obnoxii fuimus, nos rede-
mit, ut promissionem illam *Spiritus per fidem acciperemus*,
Gal. III, 13, 14. Spiritum nimurum Dei, qui in prima crea-
tione aquis incubabat Gen. I, 3. & homines ad imaginem
Dei formabat Iob. XXXII, 4. atque exercitus cœlorum pro-
ducebat, Ps. XXXIII, 6. qui cum antediluvianis discep-
tabat, Gen. VI, 3. qui Mosen gubernabat, Num. XI, 17. & in
Dauide loquebatur 2. Sam. XXIII, 2. cuiusque inhabitatio-
nem David sibi perpetuari optabat, Ps. LI, 13. quem Israe-
litæ exacerbarunt, Esa. LXIII, 10. omnipresentem Psalm.
CXXXIX, 7. & omniscium Esa. XL, 13. spiritum iudicij &
ardoris, Esa. IV, 4. Spiritum sapientie & intelligentie,
Spiritu confilii & virtutis, spiritum cognitionis & timo-
ris Domini, Esa. XI, 2. Spiritum etiam gratiae & precum,
Zach. XII, 10. per quem, tanquam spiritum adoptionis, Rom.
VIII, 15. Gal. IV, 5. 6. amor & gratia Dei in cordibus no-
stris effunditur Rom. V, 5. & velut per pignus, in nobis
obsignatur, 2 Cor. I, 22. Eph. I, 13, 14. excusso timore seruili,
2 Tim. I, 7. qui nos instruit ac cum fiducia precari docet,
Rom. VIII, 26, 27. ne plura nunc de ipso commemoremus.
Estque hæc illa *benedictionis promissio*, quæ Abrahamo facta
Gen. XII, 3. deinde eidem, & filio ac nepoti, sapientia repetita
fuit, e. c. Gen. XVIII, 18. c. XXII, 18. c. XXVI, 4. cet. In se-
mine tuo, h. e. in vno CHRISTO, demonstrante hoc iti-
dem Apostolo, Gal. III, 8, 16. benedictæ erunt, & benedictas
se predicabunt omnes gentes terræ. Huc Mosis illud vo-
rum tendebat Num. XI, 29. *Ecquis dabit omnem populum*
Domini prophetas; quando dabit Iehova Spiritum suum super
eos! vbi ipse recutitus R. BECHAI, *Reclissime*, ait, dicitur,

quod Moses hic designauerit dies Messie; q. d. Vtiam adpropinquaret illud tempus, quando totus populus erunt prophetarum quum scilicet daturus est Deus Spiritum suum super eos, & concupiscentia mala abolebitur, nec vlla inuidia erit; quo de tempore praedictum est Iohannes III, 1, seqq. Isa. XI, 9. Huc respererunt ultima verba Davidis et Sam. XXIII, 4. huc psalmi eius quam plurimi; huc Salomonis preces, 1 Reg. VIII. huc denique omnis Prophetarum concentus, quotquot de ultimis temporibus, usque ad Ioannem baptistam locuti sunt, Matth. III, 11. Quorum verba & testimonia ideo breuitatis causa non recitamus, quod aliqua eorum iam allegata sint, vel in sequentibus producenda restent.

Transimus ergo ad alterum momentum, de tantæ huius spei, quam sub veteri ceconomia omnium piorum desideria exspectabant, impletione, ex monumentis Novi Testamenti probanda ac illustranda. Heic vero vel unius divini historici, Luce, Acta apostolica nobis abundante sufficient. Nam, ut ille statim ab initio libri sui docet, IESVS CHRISTVS, dominus ac redemptor noster, postquam pro nobis pauci fuerat, non solum viuum se discipulis exhibuit cum multis evidentissimis signis, per quadraginta dies ab eis conspectus, & dicens quæ ad regnum Dei pertinebant; sed etiam cum illis conueniens ipso ad ascensionis die mandauit eis, ne Hierosolymis abscederent, sed ut illic exspectarent promissionem Patris, quam, inquietabat, ex me audiuistis, e. c. Ioh. VII, 38. 39. cet. Nam Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto istis non multis post diebus Aector. I, 3. 4. 5. Illi vero omnes Hierosolymis perdurabanc concorditer in oratione & precibus, cum uxoribus & Maria, matre Iesu, & cum ipsis fratribus, v. 14.

Cumque ita die Sabbati completus esset dies Pentecostes, omnes sequenti die dominica concorditer erant eodem loco. Et factus est repente sonitus e celo, tanquam ruens fatus vehementis, qui repleuit totam domum, ubi erant confidentes. Et vix sunt eis dispergitæ lingue sive flamulae instar ignis, coll. וְנִשְׁרֵא El. V, 24 & sedis super unumquemque eorum. Et repletis sunt omnes spiritu.

Spiritu sancto, cœperantque loqui aliis linguis, prout Spiritus ille dabant eis effari. - - - Obstupescabant igitur omnes spectatores & hæsitabant, dicentes alius ad alium, *nī àg dēz̄t̄ r̄s̄m̄ ēva, quid ergo hoc rei est?* Alii vero cauillantes dicebant, vino dulci plenisunt. Acto. II, i. seqq. Conſiftens autem Petrus cum undecim apostolis, sustulit vocem suam, & confidenter eos est adlocutus, dicens: *Viri Iudæi, vosque omnes qui habitatis Hierosolymis! hoc vobis notum esto, & ariribus percipite verba mea.* Non enim, vt vos existimatis, iſti ebriosunt, quum sit hora diei ab orto sole tertia; sed HOC ILLUD EST, QUOD DICTVM EST PER PROPHETAM IOELEM c.3, i. seqq. *Et erit ultimus temporibus, dicit DEVS, effundam ex spiritu meo in omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filie vestrae; & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestris sonnia somniabant.* Et quidem in seruos meos & in ancillas meas in diebus istis effundam ex spiritu meo, & prophetabunt, cet. Acto. II, 14. seqq. IESVM illum Nazarenum, quem vos manibus celebatis cruci adfixum interemistis, suscitauit DEVS; cuius rei nos omnes sumus testes, v. 23. 32. Itaque dextera Dei exaltatus, & promissum spiritum S. adeptus a Patre, effudit hoc, quod vos nunc spectatis & auditis, cet. v. 33. Quæ quum pluribus verbis, ex abundantia spiritus, differuerisset Apostolus, ita sensibus & animis perculsi sunt auditores, vt ad numerum credentium illo die accederent ter mille homines, v. 41.

Neque tamen putandum hic est, ad solos illos cxx. homines, qui tunc Hierosolymis in coenaculo congregati fuerunt, Act. I, 15. c. II, i. promissionem illam Dei de dono spiritus S. spectasse. Aliud enim verba diuina, & ipsa quoque acta ac scripta Apostolorum loquuntur. *Effundam, inquit DEVS, spiritum meum super omnem carnem, h. e. super omnes homines, cuiuscunque illi sint nationis, sexus, vel conditionis & temporis;* modo credant in nomen Seruatoris, nec DEO repugnant, vt ab ipso edociant, Ioh. III, 5. Act. IV, 12. Ioh. VI, 46. Ac licet in prima illa & visibili effusione spiritus S. Iohelis, Esaiæ, aliorumque vaticinia impleri cœperint illustri proorsus & stupenda ratione; neutiquam tamen ad unum illum tantum actum restringenda

da sunt, sed more aliarum promissionum vniuersalium ad vniuersum N. T. & nouissimorum temporum statum pertincent; coll. e. c. Acto. III, 24. 25. c. VIII, 15. 17. c. X, 44. seqq. c. XI, 15. c. XV, 8. c. XIX, 6. 1. Cor. XII, 1. II. Gal. III, 2. Eph. IV, 8. II. Tit. III, 6. ita, vt neque nos a participatione diuini istius beneficij exclusos sentire debeamus, coll. Act. II, 39. cert.

Hactenus, CARISSIMI CIVES, vberius quodammodo ex sacris litteris B. Gregorii verba, nondum tamen omnia, enarrauimus: restaret enim, vt de mysterio quoque Pentecostes nonnulla adderemus. Verum arctiora programmatis spatia sermonis filum abrumpere nos iubent; sic tamen, vt sinceram mentem vestram breuissimis saltim per commonefactionem excitemus. Ergo licet cum Apostolo interrogare: *Num Spiritum S. accepistis, postquam credidistis?* Acto. XIX, 2. immo num etiam vere creditis in *Filiu[m] Dei?* Ioh. IX, 35. Spiritus enim S. alia ratione non accipitur, quam vera in Christum fide, vt supra est euictum; & vicissim sine spiritu fidei 2 Cor. IV, 13. nemo Christum vere dominum adpellare potest, 1 Cor. XII, 3. Qui credit in *Filiu[m] Dei*, habet vitam aternam, Ioh. III, 36. qui vero Spiritum Christi non habet, non est illius, Rom. VIII, 9. *DEV[er]S* quidem pro magna suam ihericordia seiuauit nos per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus S. quem super nos effudit copiose per Iesum Christum, Tit. III, 5. 6. siquidem vnuquisque nostrum baptizatus est in nomen Iesu Christi, in remissionem peccatorum, vt donum Spiritus S. acciperemus. Deplorandum vero hoc est, quod multi negligunt, immo excutiunt arrhabonem Spiritus, quo obsignati erant in diem redemtionis, 2 Cor. I, 22. Eph. IV, 30. Nolite igitur, o DILECTI! imitari quod malum est, sed quod bonum est. Qui bene facit, ex Deo est; qui autem male facit, nec vidit nec nouit Deum. 3. Ioh. v. II. Admittamus, in primis his festis diebus, *spiritum gratiae & precum*, Zach. XII, 10. quumque tales promissiones habeamus, nos purgemos ab omni inquinamento carnis & spiritus, vt sanctificationem ad finem perducamus in timore Dei. 2 Cor. VII, 1. Ita gratia Domini nostri Iesu Christi, & amor Dei, & Spiritus S. communicatio sit vobiscum omnibus. Ita fiat! P. P. in feriis Pentecostalibus clo. Iccc xxviii.

Ja 1586

ULB Halle
001 508 687


3



VDN8

St

VDN7



ACADEMIAE FRI
PRORECTOR
LARI
IOANNES
A LVDE
SERENISSIMI AC POTENTIS
CONSILIARIVS INTIMVS,
DEBVRGICI, TOPARCH
ZAE ET GATT
RELIQ
VNA
DIRECTORE AC P
RELIQ
CIVIBVS AC
DIGN
PENTEC
CELEBRAT
HUMANISSIME
HALAE MAGD
Typis JOH. CHRISTIANI H